



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Thomæ A Kempis Canonici Regularis Ord. S. Augustini De
Imitatione Christi Libri Quatuor**

Thomas <von Kempen>

Coloniæ, 1723

XLII. Quòd pax non est ponenda in hominibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45773](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-45773)

tus nihil videri , non possum interius pacificari & stabiliri , nec spiritualiter illuminari , neque plenè tibi uniri .

C A P U T X L I I .

Quòd pax non est ponenda in hominibus.

1. **F**ili , si ponis pacem tuam cum aliqua persona , propter tuum sentire & convivere , instabilis eris & implicatus .

Sed si recursum habes & semper viventem & manentem veritatem , non contristabit amicus recedens aut moriens .

In me debet amici dilectio stare : & propter me diligendus est , quisquis tibi bonus visus est , & multum charus in hac vita .

Sine me non valet , nec durabit amicitia : nec est vera & munda dilectio , quam ego non copulo .

Ita mortuus debes esse talibus affectionibus dilectorum hominum ,

O

ut

ut (quantum ad te pertinet) sine omni humano optares esse confortio.

Tantò homo Deo magis approximat, quanto ab omni solatio terreno longius recedit.

Tantò etiam altius ad Deum ascendit, quanto profundius in se descendit, & plus sibi ipsi vilescit.

2. Qui autem sibi aliquid boni attribuit, gratiam Dei in se venire impedit: quia gratia Spiritus Sancti cor humile semper querit.

Si scires te perfectè annihilare, atque ab omni creato amore evanescere, tunc deberem in te cum magna gratia emanare.

Quando tu respicias ad creaturas, subtrahitur tibi aspectus Creatoris.

Disce te in omnibus propter Creatorem vincere, tunc ad divinam valebis cogitationem pertingere.

Quantumcunque modicum sit, si inordinate diligitur & respicitur, retardat à summo, & vitiat.

CA-